Dc 1170

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-33415/fragment/page=00000001

בהונא

DISSERTATIO SOLEMNIS PHILÓLOGICA,

DE

USU LINGUÆ SYRIACÆ,

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

PRO LOCO

INTER PROFESSORES PHILOSOPHIÆ

EXTRAORDINARIO,

PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBJICIT

JOANNES HENRICUS LYSIUS,

ORIENT. LINGV. PROF. EXTRAORD.

RESPONDENTE

FRIDERICO CHRISTIANO JESTERO,

REG. BOR.

ANNO MDCCXXVI. DIE IV. NOVEMBR.

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS.

IN AUDITORIO MAXIMO.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.

BIBLIOTHEK der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft.

Aus GILDEMEISTER'S Vermächtniss.

16 93 35

PATRI PATRIÆ,
AUGUSTISSIMO, SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGI IN PRUSSIA,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. *ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,*
SUPREMO ARAUSIONENSI, NEOCOMENSI ET VALANGINENSI *PRINCIPI,*
GELDRIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA CROSNÆ
DUCI,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,
VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI & MEURSÆ,
COMITI HOHENZOLLERIÆ, RUPINI, MARCÆ,
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,
LINGÆ, SVERINI, BURÆ, & LEERDAMI,
MARCHIONI VEHRÆ, & VLISSINGÆ,
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ,
LAUENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAIÆ, AC BREDÆ, &c. &c. &c.
REGI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Dissertationem hanc inauguralem cum omni Prosperitatis
voto consecrat subditus humillimus
JO. HENRICUS LYSIUS.

§. I.

NOn minus Syriacæ linguæ cultor de hujus usu quam historia sollicitus est: in iis enim addiscendis, de quarum utilitate atque usu nulla spes supereſt, nemo prudens multum laboris & operæ collocat. Cum igitur ea, quæ ad historiam sermonis Syriaci spectant, in præcedente Dissertatione breviter exposuerim, pauca in hac de ejusdem usu proponere placet: ita tamen, ut jam prætereundo haud spernendum fructum, quem Jure-Consultus, Medicus atque Philosophus, quilibet in suo scientiæ genere, ex variis Clarissimorum Auctorum Syriace scriptis sumere posset, eum solum usum indicaturus sim, quem Syriacæ linguæ notitia Theologo pollicetur.

§. II.

Theologus vero sicut in Sacris Scripturis nascitur, ita nihil ipsi suavius aut jucundius, quam in patria hac amœnissima diu noctuve versari, locupletissimas ejus aurifodinas indefesso studio rimari, divitiasque in iis occultas eruere: nihil magis ipsi arridet, quam veram Spiritus S. mentem in sacris paginis adsequi, ac de ea animum cer-

tiorem reddere. Hinc merito etiam initii loco videndum erit, quid Syriaca φωνὴ ad hunc finem obtinendum conferat.

§. III.

Latius omnino hic linguæ Syriacæ usus se diffundit, quam ut plurimum creditur: Ut a Vetere Instrumento ordiar, multa omnino in eo loca difficilia atque obscura præclaram ex Syrorum sermone lucem accipiunt. Primo enim non frustra Syriaca lingua in indagandis radicibus in Ebraismo desuetis consulitur; sed sæpius ceu filia matri suppetias fert. JACOBUS quidem GOUSSETIUS (a) hunc usum nec Arabicæ linguæ, nec Chaldaicæ & Syriacæ concedere vult, sed argumenta ejus solide cum HENRICUS MAJUS (b) excusserit, nos non morantur. Speciminis caussa paucas quasdam voces consideremus, ut quantum lingua Syriaca in restitutione radicum ab Ebræis amissarum valeat, agnoscamus: Vocabulum מרגה Cant. II. 14. Ezech. XXXVIII. 20. quod fere ab omnibus Interpretibus *gradus* exponitur, jure radicem suam repetit ex Syriaco sermone, nec cum Cel. JO. HENR. MAJO (c) ad Arabes confugere necesse est. Syris scilicet ܪܓ observante Doct. CASTELLO (d) significat *gradatim procedere*, addo *adscendendo*, hanc enim voci emphasin subesse, colligere licet ex derivato nomine ܐܪܓ, quo Syrus Interpres 1. Tim. III. 13. ad exprimendam vocem græcam βαθμὸς usus est. Optime itaque FULLERUS (e) Ebræum מרגה reddit: *scalare* quiddam i. e. locum adeo sublimem, atque ita difficili & arduo adscensu, ut non nisi scalis applicitis, vel scalarum adminiculo adiri aut superari

perari possit. Quem significatum Belgica etiam Versio innuere videtur, quando vertit: Steyle Plaetse. Ita etiam Radix vocis שֵׁם, quæ cum Tsere scripta, *nomen*, cum Kametz autem Adverb. Loci *ibi*, *illuc*, denotat, Ebræis quidem latet, sed apud Syros integra exstat ܫܡܐ *nominavit*, Ebr. V. 10. Eph. V. 3. 1. Cor. V. 1. &c. Videtur hoc verbum in genere significandi, vel aliquid ab alio distinguendi notionem habere; hinc autem porro שֵׁם *nomen*, quia nominibus res a se invicem discernuntur, שָׁם vero *ibi*, illuc, significat, quia his adverbiis loca curate indicantur & quasi digito monstrantur, ita ut cum aliis confundi nequeant. Κατ' ἐξοχὴν etiam DEus in Scripturis vocatur שֵׁם, verum cum He demonstrativo Deut. XXVIII. 58. Lev. XXIV. 11. quia ipse omnibus rebus creatis superior, atque ab illis eminentiori gradu distinguendus est. Forsan quoque ad hanc adpellandi rationem Ebræis usitatam Divus Paulus respicit, quando de Christo homine dicit: ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Phil. II. 9. Unde Ebræi *fornacem* כּוּר adpellaverint, is demum plene intelliget, qui observat apud Syros ܟܘܪ denotare *æstuavit*, *incaluit*. Hinc enim probabile fit, quod כּוּר ab ardendo nomen habeat, quapropter *proprie* de fornace metalla liquefaciente & purgante usurpatur Prov. XVII. 3. *metaphorice* de adflictionis æstu, qui homines modestos reddit, & a peccati sordibus mundat. Es. XLVIII. 10. Deut. IV. 20. Simili ratione *frondes* עֲפָאִים nuncupantur Ps. CIV. 12. Dan. IV. 18. a radice Syriaca ܥܦܐ *multiplicavit*, *congregavit*, quia

 frondes

frondes crescendo multiplicantur. Idem linguæ Syriacæ usus potest etiam in aliis exemplis ostendi. Sic בֶּטֶן *uterus* derivatur a radice apud Syros superstite ܒܛܢ *Concepit, genuit* Luc. I. 24. עגלה *Plaustrum* 1. Sam. VI. 7. dicitur a rad. Syr. ܥܓܠ *Volvit* &c.

(a) In Comment. de lingua Ebræa.
(b) In Introductione ad studium Philologico-Exegetico-Criticum, quæ examini Hist. Crit. N. T. est annexa.
(c) In Animadversionibus & Supplementis ad Lexicon JO. COCCEJI p. 28.
(d) In Lexico Heptaglotto p 773.
(e) In Miscellaneis Sacris Lib. IV. cap. 6.

§. IV.

Secundo Syriaca lingua usum habet in vocibus, quæ semel aut rarius in Sacra Scriptura occurrunt, nec a Judæis ipsis satis intelliguntur, recte explicandis. Quantum enim in Parallelismo situm sit, nemo ignorat. Cum ergo tum parallelismum purum non habeamus, magno cum fructu sæpius ad impurum nos recipimus. Sic quando Jes. IX. in fine commatis 17., hæc leguntur verba: ויתאבכו גאות עשן, frustra vocis התאבך, quæ hoc loco tantum occurrit, genuinam significationem apud Judæos quæris, vel si quæsitam inveneris, ejus tamen ratio tibi ignota manebit. R. SAL. JARCHI enim verba in hunc sensum torquet: יהיו נבוכים ומסוגריבם בחוזק עשן התבערה *Erunt perplexi & densissimo fumo incendii inclusi*; quasi Radix esset בוך in Niphal נבוך *Perplexum esse*. R. DAVID KIMCHI & SAL. BEN MELECH melius quidem contendunt, verbo יתאבכו eandem vim subesse, quæ voci ויתגאו subest, Prophetamque indigitare speciem quandam

quandam ſuperbiæ; ſed qua ratione ipſi nitantur, non indicant. FORERIUS ad hunc locum dicit: verbum אבך, quantum ex cognatis ejus conjicere licet, ſignificare: *diſſipari, diſpelli.* Tanta ſententiarnm diverſitas Lectorem, qui præter linguam Ebræam nullam aliam callet, vel hæſitare vel ſaltem τῇ ὑποθέσει δολεύειν cogit, cum alter, cui aditus ad Syrorum monumenta patet, facile de vera hujus vocis interpretatione certior fieri poſſit. Teſte enim BAR BAHLUL in ſuo Dictionario Syriaco (f) uſus hujus vocabuli in hunc usque diem inter Syros viget. Eſt vero illis idem, quod ܐܬܓܒܐ & ܐܬܓܒܝܘ, quorum illud *ſuperbire* Prov. XXX. 31. hoc autem, vel *de ſe* vel *de alio gloriari* ſignificat 2. Cor. VII. 14. XII. 9. Inde Syris etiam Gallus ſuperbo gradu inter gallinas incedens, loco ex Proverbiis citato ܐܬܟܒ dicitur, ab eadem radice אבך, quæ forſan Græcorum quoque verbo ἀυχέω *elato animo me jacto*, originem dedit. Quæ cum ita ſint, verba Prophetica optime ita verti poſſe judico: *Et elevent ſe elevatione fumi* i. e ſicut fumus convolutus ſeſe extollit, atque incendii nuncius fit; ita ipſi peccatis inſolentius ſe jactando Eſ. III. 9. gentibus notum faciunt τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, quod in ſinu ſuo, tanquam certiſſimum interitus ſignum alunt atque fovent. (g) Huc pertinet vocabulum ἅπαξ λεγόμενον צחנוחא Joel. II. 20. quod apud Syros frequentius occurrit, quibus צחן *Laſcivus, ſordidus, impudicus fuit.* conf. Marc. VII. 22. Gal V. 19. unde צחנוחא recte redditur: *Fœtor ex putredine ortus.* Aliquando etiam in Chaldaismo, quo partem quondam V. T. Sp. S. conſcribi voluit, ejusmodi uſus locum invenit. Sic Dan. VI. 18. Rex oſtium foveæ ob-

signasse dicitur annulo suo, & Magnatum suorum די לא תשנא צבו בדניאל quod optime Græci Interpretes & Arabs reddunt: *ne mutaretur quidquam* (πρᾶγμα) *in Daniele*; צבו enim apud Syros aliquando etiam significat *negotium, rem, quidquam:* conf. Versionem Syriacam Act. XVIII. 15. Ebr. VI. 18.

(f) Quod totum CASTELLUS, Vir incomparabilis eruditionis, Lexico Heptaglotto inseruit.

(g) Malo hoc tertium comparationis cum KIMCHIO & MUNSTERO eligere, quoniam contextui magis conforme est, quam illorum, qui superbiam fumo hic æquiparari statuunt, quia tandem attenuatur & evanescit sicut fumus.

§. V.

Præterea tertio exhibet Textus Ebræus Veteris Testamenti quasdam vocum formas, phrases atque constructiones, quæ ex Syriasmo nisi explicari, tamen illustrari possunt. v. c. Ezech. VIII. 16. Propheta abominandum Judæorum cultum inter alia his verbis describit: והמה משתחויתם קדמה לשמש *& illi incurvabant se versus orientem solem.* Hic forma verbi משתחויתם Syrorum more composita est ex Participio & Pronomine secundæ Personæ pluralis, quasi Propheta pronunciasset: משתחוים אתם, latet igitur in his verbis Apostrophe; atque Jeremias de viginti quinque hominibus sermonem faciens, quos in visione sua viderat, simul etiam præsentes, quibus Visionem narrabat, increpat dicendo: *Illi se incurvantes erant, sicut & vos incurvati adoratis versus Solis ortum.* Vocabula illa הושר, *dirige* Psalm. V. 9. הוצא, *educ*, Gen. VIII. 17. Masorethæ legenda esse contendunt non cum ו sed cum י; Verum nulla adest sufficiens ratio,

cur

cur קתיב rejiciamus; rectum enim est omnino secundum formam Syriacam, nam Syri primam radicalem Jud in Conjugatione Hiphil mutant in Vau mobile per diphthongum au. (h) Non raro in Ebræo textu לו ponitur pro לא ut 1. Sam. II. 16. 1. Sam. XX. 2. Syrorum more, qui pro לא scribunt לו. Similiter feminina hæc, עטיה, *velata* Cant. I. 7. בכיה *flens* Thren. I. 16. צפיה *speculans* Prov. XXXI. 27. פריה *fructificans*. Ps. CXXVIII. 3. &c. ex forma Syriaca ܠܐ haud inepte illustrantur. Redolent insuper Syriasmum illæ constructiones הרגו לאבנר *trucidarunt Abnerum* 2. Sam. III. 30. ויקח רב־טבחים לירמיהו *accepit princeps satellitum Jeremiam* Jer. XL. 2. ויגלם לאויל יהרג־כעש *stultum interficit ira* Job. V. 2. לראובני *& migrare jussit Rubenitas* 1. Par. V. 26. &c. apud Syros enim *Lomad* frequentissime est nota Accusativi, cum apud Ebræos ordinarie sit Dativi.

(h) Conf. LUDOVICI DE DIEU Grammaticam linguarum Orientalium p. 284.

§. VI.

Porro cum Syri pervetustam V. T. translationem possideant, quæ secundum Ebræum textum singulari ἀκριβείᾳ adornata est, (i) uberrimum utique fructum quarto ex ejusdem collatione sumit, qui in Ebræi Codicis lectione versatur. Etenim (1) ista Versio nonnunquam Lectorem ad pias meditationes invitat, atque ipsa Textus viscera penetrare docet. Sic ad Psalmum primum Syriaca inscriptio monet: *Esse narrationem concionis, quæ de bonis moribus habetur in canone novem Beatitudinum apud Matthæum.* Monitum hoc præclarum qui animadvertit, atque collationem

tionem inter Christi & Davidis verba instituit, luculentum ac realem Commentarium in Psalmum primum, plenamque tam Subjecti quam Prædicati habebit explicationem. (2) Verba Spiritus Sancti emphatice interdum exprimit, quod jam antiquæ Ecclesiæ Patres agnoverunt. Ita BASILIUS MAGNUS (k) haud incongrue vim vocis מרחפת ex Syriaca versione explicat, quæ eandem vocem forma Syriaca ܡܪܚܦܐ retinuit: i. e. incubabat s. fovebat ut avis supra pullos. Addamus jam dictum Patris cœlestis Ps. II. 6. נסכתי מלכי, quod Syrus opportune reddit: ܐܩܝܡܬ ܡܠܟܝ *constitui regem meum*; haud obscure enim hac versione indicat, τὸ ungere hic simul æternum & irrefragabile consilium Patris involvere, proinde frustraneum esse, quicquid etiam impiorum turba moliatur, conf. v. 2. 3. Aliquando etiam (3) παραφράζει & quæ obscuriora videri possent, explicat: ut, quando Num. V. 18. Ebraica verba מים המאררים *æquæ maledicentes*, leguntur, Syrus interpres usum istarum aquarum docet transferendo ܡܝܐ ܒܚܪܐ *æquæ scrutatrices*. (4) Lucem adfundit locis quibusdam, ubi LXX. Seniores a Textu Ebræo discessisse versione sua videntur. Ejusmodi exemplum habemus in vocabulo צמח, quod Messiæ tribuitur Jer. XXIII. 5. quanquam enim hoc alias germen notet, LXX. hic & alibi illud ἀνατολὴ vertunt, quo nomine Christus insignitur Luc. I. 78. Mal. IV. 2. Ratio sine dubio ex usu Syriaco desumenda, secundum quem ܨܡܚ est *splendere, adparere* & nomen ܨܡܚܐ *splendor*, quod h. l. etiam

Syrus

Syrus Interpres habet: Generalius significat *prodire*, *enasci*, in quo sensu verbum ἀνατέλλω legitur ut patet ex Hebr. VII. 14. unde Servator respectu æternæ generationis a Patre, צמח *splendor* seu ἀπάυγασμα τῆς δόξης τῦ Θεῦ, Hebr. I. 3. respectu autem nativitatis ex stirpe Davidica, *germen* propullulans dicitur. (5) Denique ex hac Versione Syriaca nullo negotio vanitas sententiæ illorum evinci potest, qui Textum Ebræum ita corruptum esse defendere conantur, ut pro norma fidei haberi nequeat. Quodsi enim loca illa evolvantur, quæ corrupta dicunt, fere ubique adparebit, ea Apostolorum temporibus ita lecta esse, prout hodie leguntur. Tantum de usu linguæ Syriacæ in lectione V. T: plura qui desiderat, adeat velim ARNOLDUM BOOTIUM, in *Animadversionibus Philologicis* & LUDOVICUM DE DIEU, in *Observationibus in Sacram Scripturam V. T.* it. in *Grammatica Harmonica Orientalium linguarum.*

(i) Conf Diss. nostram de Historia Linguæ Syriacæ §. XIV. p. 27.

(k) Hexaem. in verba Gen. I 2

§. VII.

Jam ad Novum Testamentum pedem promovemus, & quis sit in ejusdem explicatione linguæ Syriacæ usus, consideramus. Palmarius videtur esse in conferenda Syriaca versione cum Textu græco. Quanquam enim ultro concedamus, Novum Testamentum originaliter Syriaco idiomate scriptum non esse, (l) Syriaca tamen Versio antiquitate & auctoritate omnes reliquas Novi Instrumenti translationes superat, eaque lingua conscripta est, quæ proxime ad Servatoris nostri ejusque discipulorum vernaculam accedit. (m) Unde Cel. JACOBUS MARTINI hanc ut probatiorem & pleniorem ceteris præferendam

judicat, & per eam ſolam Græcum textum vere illuſtrari recteque intelligi adfirmat. (n) Nolo jam de his verbis, quousque valeant, ſententiam ferre; id ſane certum atque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod multum utique Syriaca Verſio conducat Lectori N. T. Primo enim ſenſum ſæpe obſcuriorem reddit clariorem, animumque certiorem facit, ubi hæſitare poſſet. Ita v. c. quando Matth. IV. 1. Chriſtus in deſertum locum ὑπὸ τοῦ πνεύματος, latus dicitur, dubium eſt, a quonam? num a Sancto, an a pravo ſive Diabolo, quem multi Interpretes intelligunt. Syrus Paraphraſtes litem ſolvit vertendo: ܡܢ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ *a Spiritu ſanctitatis* i. e. ſancto. Quæ expoſitio Textui eſt convenientiſſima. Articulum enim Græci textus τοῦ relationem ad proxime præcedens c. III. 16. indicare, Lucas ipſe adnotante GROTIO docet, qui hiſtoriam hanc cum eo, quod de Spiritu S. in hiſtoria Baptismi narravit, conjungit hoc modo: Ἰησοῦς δὲ πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου· καὶ ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον. Cap. IV. 1. Et ſic eo melius occurritur BALTHASARI BECKERO, qui Chriſto indignum ratus, permittere ut a malo ſpiritu ferretur, &, quod nonnulli præter omnem rationem hic factum credunt, per aërem raperetur, omnia quæ ab Evangeliſta recenſentur non revera ſed κατὰ φαντασίαν eveniſſe contendit. De verbis Servatoris Joh. V. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς diſputant nonnulli, utrum *imperandi* an *indicandi* modo accipienda ſint. Recentiorum plerique indicativam notionem habere ſibi perſvadent, ſed pugnat contra eos Verſio Syriaca ſatis antiqua, quæ imperative habet:

habet: ܒܨܘ ܟܬܒܐ *scrutamini Scripturas.* In hoc sensu etiam citari puto hæc verba in CLEMENTIS Alexandrini Constitutionibus Apost. cap. V. λέγει γὰρ ὁ κύριος Ἰησοῦς. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς· ὅτι αὗταί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. Comprobat hanc explicationem quoque Latina Ecclesia, ut ex AUGUSTINI Sermone in hæc verba Tom. X. Opp. p. 171. seq. probat CASAUBONUS in Casaubonianis p. 89. nec ipse contextus aliam suadet. Dictum illud Paulinum Rom. III. 28. λογιζόμεθα οὖν, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, LUTHERUS transfert: **So halten wir es nun, daß der Mensch gerecht werde allein durch den Glauben.** Sed pedibus manibusque repugnant Pontificii, qui vocabulum **allein** contra mentem Spiritus S. additum a LUTHERO clamant, hincque ipsum maledictionis Apoc. XXII. 18. reum se fecisse judicant. Verum particulam illam exclusivam in sermone Paulino non quidem explicite, ast implicite tamen reperiri agnovit jam olim Interpres Syrus, qui absolute omnia opera excludit, & cap. IV. 5. expressis litteris post verba πιστεύοντι δὲ interjicit ܒܠܚܘܕ *tantum*, quæ particula plane æquipollet illi: SOLA fide justificamur. Addo obiter & hoc, quod LUTHERUS regulam hanc Hermeneuticam ab ipso Christo tanquam Magistro suo didicerit. Cum enim ipse contra Tentatorem ex Sacra Scriptura disputaret Matth. IV. 10, inter alia ei opponit: γέγραπται· Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Addit hic Sanctissimus Servator etiam vocabulum μόνος, quo magis argumentum stringeret, quod non legitur Deut. VI. 13. & X. 20. Jure itaque idem Megalander noster observavit in explicandis verbis Paulinis, cum ipse a Pontificiis tentaretur. Illustris quoque locus

cus eſt Ebr. VII. 3. ubi Melchiſedechus, ab Apoſtolo nuncupatur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλογητος. Syrus egregie hæc explicat: ܕܠܐ ܐܒܘܗܝ ܘܠܐ ܐܡܗ ܐܬܟܬܒܘ ܒܫܪܒܬܐ *Cujus pater & mater non ſunt nominatim expreſſi in genealogiis.*

(l) Vid. Diſſ. noſtram de Hiſtoria linguæ Syr. §. XIII. p. 23.
(m) Id quod evicimus §. XII. Ej. diſſertationis.
(n) Præf. ad N. T. Syriacum TROSTII.

§. VIII.

Porro Syriaca Verſio nonnunquam meliorem in ordinem redigit voces, quæ ob elegantiam linguæ Græcæ paulo ſunt transpoſitæ, ut Joh. VIII. 25. Chriſtus Judæis quærentibus Σὺ τίς εἶ; reſpondet: τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Quæ verba δυσνόητα pluribus viſa mire Interpretes vexant. B. GLASSIUS, (o) RHENFERDIUS, (p) aliique τὴν ἀρχὴν exponunt per *omnino*, *prorſus* hoc ſenſu: *omnino* (ſum id) *quod & loquor vobis*, nempe lux vera mundi, conf. v. 12. Verum cum vox hæc Joanni admodum familiaris ſit, nunquam tamen alibi hanc ſignificationem obtineat; alii communem vocabuli ἀρχὴν ſignificatum retinere malunt, quo *principium* denotat, quem & LUTHERUS reſpexit vertendo: **Erſtlich der, der ich mit euch rede.** Sed & hi in diverſas abeunt ſententias. Quidam, ut ELSNERUS, (q) per ἀρχὴν principium ſermonis Chriſti intelligunt, atque reddunt: *jam a principio dixi vobis*, ubi ſimul monent, τὸ ὅ, τι non per Hypodiaſtolen, ut plerique Codices habent, ſed junctim legi debere ὅτι, ſicque hoc loco, ut in multis

multis aliis abundare. Alii rurſus τὴν ἀρχὴν ad Chriſtum ipſum referunt, ut JO. HENR. MAJUS, (r) qui κατὰ ante vocabulum τὴν ἀρχὴν & εἰμι poſt illud ſupplet, atque ita vertit: *Jam ab initio* fui, *quodcunque vobis loquor* ſ. *locutus ſum*, & ſic conf. v. 14. 23. 12. Alii, ut HENR. BENED. STARKIUS, (s) vocem ἀρχὴν de principio officii prophetici Servatoris accipiunt, hoc ſenſu: *ipſo initio* (officii mei Prophetici) *dixi*, *quod etiamnum dico vobis*, nempe me eſſe lumen mundi atque verum Meſſiam. At omnibus his explicationibus palmam præripit iſta, quam Syrus Paraphraſtes profert. Hic enim verba transponit hunc in modum: ὅτι ϗ τὴν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν, & ſimpliciter vertit:

ܐܦܢ ܕܫܪܝܬ ܐܡܠܠ ܥܡܟܘܢ *Etiamſi initium facerem loqui vobiscum*: ita optime cohærent verba cum ſequentibus v. 26. in hunc ſenſum: Etiamſi annuerem petito veſtro, & quaſi ab ovo, ut ajunt, vobis meam originem explicare inciperem, multa tamen habiturus eſſem contra vos dicenda atque judicanda, quoniam non de veritate, ſed materia litigandi ſolliciti eſtis, conf. v. 43. 45. &c.

(o) Grammatica Sacra Tract. V. can. 17. p. 473.
(p) In Syntagmate Scriptorum de Stylo N. T. p. 400.
(q) In Obſervationibus S. in libros Hiſtoricos N. T. p. 319.
(r) In Obſervat. Sacris Part. I. p. 70.
(s) In Notis Selectis p. 106.

§. IX.

Deinde Syriaca Verſio confert ad interpunctionem N. T. emendandam. Sicut enim capitum, nec Verſuum, nec ſignorum diſtinctionis diſpoſitio Spiritum Sanctum auctorem agnoſcit, ſed a ROBERTO STEPHANO (t)

 demum

demum A. C. 1552. profecta est, ita haud raro vitiis laborat, & correctione opus habet, quam Syrus Interpres sæpius suppeditat. Ita Matth. XXVI. 56. male in nostris Codicibus verba τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν, citra omnem rationem ad v. 56. trahuntur: melius Syriaca Translatio verba illa ad præcedentem versiculum 55. rejicit, atque initium commatis 56. ponit: τότε οἱ μαθηταὶ &c. Item illa verba: Καὶ οὐχ εὗρον in eodem capite a versu 59. divulsa frigide commati 60. annectuntur: corrigit autem hanc incuriam Syrus referendo ea ad versum proxime præcedentem 59. Simile exemplum occurrit Col I. 11, ubi nostri Codices versum incongrue satis finiunt vocibus μετὰ χαρᾶς· quasi ad antecedentia pertinerent; rectius Syrus eas cum sequenti participio v. 12. construit hoc modo: μετὰ χαρᾶς εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ &c. Et cum hoc plane coincidit aliud Eph. I. 4, ubi iterum rectius Syrus post verba κατενώπιον αὐτοῦ punctum ponit; verba autem ἐν ἀγάπῃ connectit cum sequenti προορίσας ἡμᾶς. Laudant etiam nonnulli punctionem Syri Interpretis Joh. V. 27. 28, qui verba ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ a præcedentibus distinguit, & commati 28 jungit hac serie: ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ, μὴ θαυμάζετε τοῦτο. CHRYSOSTOMUS & THEOPHYLACTUS tam graviter pro hac interpunctione pugnant, ut etiam ille PAULUM SAMOSATENIANUM ejus, quam hodie sequimur, Auctorem faciat. Item in verbis Christi Luc. XI. 17. καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει secundum Syrum communis interpunctio mutanda, atque comma post οἶκον ponenda est, sic subintellecta ex antecedentibus voce διαμερισθεὶς hic verborum sensus erit: *Et domus contra domum* sive se ipsam *divisa*, *corruit*. Approbat hanc

hanc interpretationem post ERASMUM SCHMIDIUM ad h. l. Cel. HENR. BENED. STARCKIUS. (u)

(t) Conf. HENR. STEPHANI Præf. Concord. N. T.
(u) In Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. p. 90.

§. X.

Quarto conducit etiam ad dijudicandas Variantes Lectiones N. T. Rejiciuntur scilicet merito, quæ antiquissima hæc Versio non agnoscit, contra ulteriorem omnino disquisitionem merentur, quæ ejus auctoritate nituntur; v. c. Marc. II. 26. verba ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως desunt in Exemplari Cantabrigiensi, hinc BEZA illa ex albo, ubi male fuerint adnotata, in Textum irrepsisse judicat; sed cum Syrus comma hoc agnoscat, nec ullus Codex præterea adstipuletur, magis probabile videtur quod alius, cui historiæ minus consentaneum visum est, nimia audacia illud expunxerit. Marc. III. 32. Codex Alexandrinus & Manuscripta Bibliothecæ Bodlejanæ post verba καὶ οἱ ἀδελφοί σου addunt καὶ αἱ ἀδελφαί σου. Quam Lectionem ut genuinam etiam probat Cl. JO. MILLIUS, (x) atque suspicatur verba ista a nonnullis sublata esse ideo, quod v. 31. non occurrant. At cum additionem hanc Syriaca versio ignoret, rectius cum Celeb. JO. CHRISTOPH. WOLFFIO (y) conjici potest, Sciolo cuidam ex v. 35, ubi Christus τῆς ἀδελφῆς meminit, occasionem subnatam esse, illa καὶ αἱ ἀδελφαί σου inserendi. Luc. I. 35. post verbum τὸ γεννωμένον nonnullæ editiones & Patres legunt ἐκ σοῦ, quam lectionem JO. MILLIUS (z) ex Orthodoxorum interpretamento ortam putat, hacque de causa admittere non vult. Reclamat autem & hic Syrus, qui voculas ἐκ σοῦ exhibet, unde merito eas retinendas esse post GROTIUM censet Cl.

JO.

JO. ALBERT. FABRICIUS, (a) qui insuper & auctorem Protevangelii Jacobi ita legisse observat. Luc. II, 22. plerique Codices habent: καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆ καθαρισμῆ αὐτῶν. *Vulgatus* autem & *Arabs* loco αὐτῶν legunt αὐτῆς, prout invenitur in Exemplari Complutensi, Anno 1514 Compluti impresso; sic verba αἱ ἡμέραι τῆ καθαρισμῆ ad solam Mariam referenda essent. Verum rursus Auctoritas Syri Interpretis obstat, qui priori lectioni αὐτῶν calculum suum adjicit. Unde admodum probabile videtur, vocem αὐτῶν in αὐτῆς a quodam mutatam esse, qui putaverit Christum purificatione non opus habuisse, quia omnium sanctissimus est, nec observaverit, quod in eodem commate Hierosolymam adductus dicatur κατὰ τὸν νόμον.

(x) In Prolegomenis ad N. T. n. 1343.
(y) In Curis Philologicis & Criticis p. 447.
(z) In notis & Prolegom. §. 759.
(a) In notis ad Codicem Pseudepigraphum N. T. pag 93.

§. XI.

Quinto ex Syriaca lingua pleraque Exotica vocabula N. T. egregie explicari & illustrari possunt. Quamvis enim paulo differant ab iis, quæ Versio Syriaca, quam hodie possidemus, exhibet: ista tamen discrepantia major non est, quam inter diversas dialectos observari solet. Sumamus verba Christi Matth. V, 22. ὃς δ' ἂν εἴπη τῷ ἀδελφῷ αὐτῆ ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ. Tot fere vox ῥακὰ pati debuit explicationes, quot interpretes. Quidam sibi persuaserunt esse Græcam, quia Græci hominem abjectum vocant ῥάκος, a veste detrita rejiculaque convitio sumto. Alii derivare maluerunt a רקק *spuere*, ita ut ῥακὰ denotet hominem κατάπτυστον *conputum* vel *conspuendum*. ANDREAS

DREAS MULLERUS (z) autem vocabulum ῥακὰ idem esse putat, quod Ebræorum רשע *impius*, propterea scilicet, quod Caph raphatum ab Orientalibus æque ac Gallis in modum *sch* pronuncietur: atque sic verba Servatoris confert cum dicto Talmudico: (a) הקורא לחבירו רשע וורדין עמו לחייו i. e. *Qui socio suo* Improbe *dixerit, capital esto.* Rectius HIERONYMUS (b) ῥακὰ interpretatur κενὸς, *vacuus, vanus:* Est enim vocabulum Syriacum deducendum ab Ebræa ריק, quod *inanis, vacuus* denotat, quemadmodum Jud. IX. 4. XI. 3. 2 Sam. VI. 20. אנשים ריקים ἄνδρες κενοὶ, *homines infimæ plebis, nullius conditionis* dicuntur. Hinc ריקא, seu prout in Talmude passim legitur ריקא, satis tritum in ore Judæorum est convitium cum contemtu aliquo conjunctum, quod Cel. LIGHTFOOTUS (c) locis idoneis demonstrat. Pro ריקא autem Christus Syriace dicit ῥακὰ, posita *a* pro *i*, quæ litteræ haud raro alternant. Ex his nullo negotio intelligitur, quomodo τὸ ῥακὰ a sequente μωρὲ differat, scilicet ut majus & minus: illud enim neutiquam tam grave erat convitium, quam hoc. Referri huc & alia vocabula possent, in N. T. obvia: v. c. κορβᾶν Marc. VII. 1. Βὰρ Ἰωνᾶ Matth. XVI. 11. βοανεργὲς Marc. III. 17. ταλίθὰ κοῦμι Marc. V. 41. ἀκελδαμὰ Act. I. 19. μαρὰν ἀθα 1. Cor. XVI 22. &c. quæ sufficienter jam explicata sunt ab OTHONE GVALTPERIO, (d) JO. DRUSIO (e) & AUG. PFEIFFERO, (f) ad quos lectorem remittimus.

(z) In Glossario Sacro p. 11.
(a) Kidduschin 28. a.
(b) Lib. 2 contra Pelagianos.
(c) Horis Hebraicis ad h. l.
(d) In Sylloge vocum Exoticorum Nov. Test.
(e) In Comment. ad voces Ebræas N. T.
(f) In Dub. Vexatis Part. II.

§. XII.

Quidam ipsarum phrasium, quæ interdum in N. T. adhibentur, verum sensum non aliunde quam ex Syriaca lingua petendum esse putant. Magnus ille & de Syriacis litteris optime meritus LUDOVICUS de DIEU (g) eo usque hoc urget, ut facilius Europæis fore existimet, Platonis Aristotelisque elegantiam imitari, quam Platoni Aristotelive N. T. nobis interpretari. Verum alii, inter quos nominatim Doctiss. SEBAST. PFOCHENIUS (h) & M. CHRIST. SIGISM. GEORGIUS, (i) pure fluere fontem Græcum evincere studeant, quorum hic, nescio quo zelo impulsus, *Syriasmos* figmenta vocat, & ad absurda atque absona judicia, immo scommata & convitia refert, quæ in stilum N. T. ob negligentiam & ignorationem Græci genii Criticastri evomuerunt. Mediam viam etiam hic tenendam esse puto. Laudandi utique sunt, qui φρασεολογίαν Novi Fœderis ex τῇ ἔξωθεν παιδείᾳ illustrari solliciti sunt, nec audiendi, qui in quavis locutione sibi ignota *Syriasmum*, *Chaldaismum* vel *Ebraismum* fingunt. At ex altera parte omnes *Syriasmos* in græco textu N. T. absolute negare, nimiæ temeritatis indicium esset. Non constat mihi idoneum exemplum, quo probari possit, verbum ὑψόω apud τὰς ἔξω *cruci adfigendi* significatum habere, nihilo tamen minus hoc sensu legitur. Joh. III. 14. VIII. 28. XII. 32. 34, in quo ultimo loco Christus dicit: κἀγὼ, ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν. addit Evangelista explicationis causa: τοῦτο δὲ ἔλεγε, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. Ipsum hoc Scholion satis innuit, Joannem prævidisse, phrasin a Servatore usurpatam non intellecturos esse Græcos: *Syriasmum* enim omnino redolet vox ὑψοῦσθαι, quoties in sensu *cruci adfigendi*

di reperitur. Nam apud Syros ܙܩܦ ſignificat in genere *elevavit, ſuſtulit*, Gen. XXXVII. 7. Job. XL. 12. Sirach. XXVII. 14. in ſpecie autem uſurpatur de *elevatione in crucem*, & tunc *cruci adfigendi* notionem induit, ut Gal. VI. 14. Joh. XIX. 31. hinc porro ܨܠܝܒܐ *Crucem* denotat Matth. X. 38. Forſan itaque non inconvenienter dicerem, Chriſtum, cui Syriaca dialectus vernacula fuit, voce hac Syriaca uſum eſſe, ad indicandum mortis ſuæ genus. Videtur quidem obſtare Paraphraſtes, qui Joh. XII. 32. & in reliquis locis adductis pro ὑψῶν רום exhibet. Sed facile tollitur dubium, ſi cum JO. CASP. SVICERO (k) obſervaveris, illud ipſum רום a KIMCHIO Num. XXI. 8. 9. per זקף explicari.

(g) Præf. ad Grammat. Linguar. Orientalium.
(h) Diatribe haud vulgaris eruditionis, de linguæ Græcæ N. T. puritate.
(i) Diſſ. de Chaldæo-Syriasmis, Rabbinismis & Perſismis dictioni Novi Fœderis immerito affictis.
(k) Theſauro Eccleſiaſtico. pag. 1407.

§. XIII.

Ex his igitur, quæ dicta ſunt, facile ſimul intelligitur, quam magnus e linguæ Syriacæ notitia fructus in Theologiæ ſtudioſum redundet. Si *Theologiam Exegeticam* ſpectes; verſatur illa circa loca obſcura atque vexata, quorum explicationi operam dat. Sin *Didacticam*; præſupponit ea genuinum Scripturæ ſenſum, e fontibus ſolide erutum, cui fidei articulos ſuperſtruere poteſt. Sin vero *Homileticam*, non ea ſolum de materia quadam tractanda

sollicita est, verum in primis verborum phrasiumque δεινότητα atque ἐνεργείαν respicit. In his omnibus autem Syriacam linguam nonnihil conferre, ex præcedentibus abunde liquet. Addamus jam unum alterumve exemplum ex *Polemicis*, quo intelligi possit, quid Syrorum sermo in his quoque præstet. Dan. VII. 13. Propheta ita loquitur: חזה הויתי בחזוי ליליא וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה הוא, i. e. *Videbam in visionibus noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.* Probant Nostrates ex hoc dicto humanam Christi naturam, argumentando a nomine ad nominatum. Contra hos ut LIPMANNUS, (l) nefarius Judaicæ superstitionis propugnator, & infensissimus Christianæ veritatis hostis, aliquid obtineat, temere objicit: אנוש esse לשון זכר *generis Masculini*, & exinde Jesu Nazareno, qui ex hypothesi nostra ἀπάτως sit secundum humanam naturam Ebr. VII. 3. nomen hoc בר אנוש *filius hominis masculi* competere non posse. Ast mittamus jam luculenta testimonia DAV. KIMCHI & ABENDANÆ, quæ contrarium evincunt, uno tamen ictu quasi prosternitur ex usu linguæ Syriacæ, quæ ei, qua Daniel utitur, admodum similis est. Etenim hæc quoties ἄνθρωπον exprimit, toties habet ܒܪ ܐܢܫ *filius hominis*. Excipere quis posset, Syrum hoc interpretamento ad originem ex parentibus respexisse, nisi loca Rom. V. 19. & 1. Cor. XV. 45. contrarium evincerent; ubi ipse Adamus ἀπάτως καὶ ἀμήτως ܒܪ ܐܢܫ *filius hominis* dicitur ob humanitatis veritatem. Id quod erat demonstrandum. Ita Pontificii omnem movent lapidem, ut ex verbis Christi Matth. XVI. 18. Σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω

μήσω τὴν ἐκκλησίαν μȣ, primatum Petri Papalem evincant, quapropter per Petram intelligunt Petrum ejusque Successores; hi autem ex illorum sententia non Apostoli sunt, sed Pontifices Romani, quibus Christus singularem quandam ac divinam auctoritatem his verbis vindicasse contendunt. Opponunt Nostri merito: Si Servator hoc voluisset, cur ambagibus usus esset? Quare non potius dixisse: καὶ ἐπὶ σοὶ, Πέτρε, vel ϗ ἐπὶ τȣ́τῳ πέτρῳ quod multo concinnius factum esset, cum πέτρος *saxum* significet. Quia vero studio genus mutat, palam est, illum aliud quid indigitasse, & facta tantum adlusione ad Petri nomen de se loqvutum esse. Illi contra defendunt Christum nequaquam genus mutasse, siquidem Syriace locutus est; hoc modo: *Tu es Cepha & super hanc cepham ædificabo ecclesiam meam;* ubi vox Syriaca & *Petrum* nomine proprio, & *petram* nomine adpellativo significat. Sed sic se ipsos jugulant cœci, nobisque arma tradunt. Inspicientes enim textum Syriacum, observamus, quod licet Interpres vocabulo ܟܐܦܐ usus sit, non solum, ubi nomen πέτρος exprimit, sed etiam, ubi verba ἐπὶ τάυτῃ τῇ πέτρᾳ vertit, nihilo tamen minus mutationem generis in Servatoris sermone non neglexerit, verum singulari diligentia eam observaverit, & in suo idiomate indicare curaverit. Præponit namque priori ܟܐܦܐ masculinum ܗܘ, posteriori autem fœmininum ܗܝܢ. Unde contra Pontificios, qui nusquam non de Antiquitatis testimoniis clamant, obtinemus, quod prima

Ecclesia nobiscum agnoverit, per πέτραν hic non eundem esse intelligendum, qui per πέτρος intelligitur, sed potius Christum, quemadmodum ipse Petrus 1. Pet. II. 4. Servatorem vocat λίθον ζῶντα atque adfirmat, super eum τὺς πιστὺς ὡς λίθυς ζῶντας οἰκοδομεῖσθαι οἶκον πνευματικον. (m) sensus itaque verborum Christi hic erit: Tu Petre non frustra a me nomen geris, sed conformem te ei nunc præstitisti, dum in confessione tua veram petram expressisti, cui & tu & omnes credentes firmiter superædificamini.

(l) In pessimo suo libro, quem inscribit: Nizachon p. 179.
(m) Conf. B. OLEARIUM in Observationibus Sacris pag. 451.

§. XIV.

A Sacræ Scripturæ finibus si jam discedamus, præclarum usum linguæ Syriacæ animadvertimus, non in Historia Ecclesiastica, & pernoscendo statu Christianorum Orientalium solum, qui inter Muhammedanos vitam degentes, licet in communi vita Arabice loquantur, in cultu tamen publico lingua Syriaca utuntur, & a JO. HENR. HOTTINGERO (n) in Nestorianos & Eutychianos dispescuntur; sed etiam in evolvendis Patrum antiquorum & Ecclesiasticorum scriptis. Interdum enim voces Ebræas ob soni adfinitatem ex Syriasmo explicant. v. g. Gen XXII. 13. vox סבך, quæ *arboretum, virgultum* significat, in catena Patrum sic explicatur: τί ἐν τῷ φυτῷ ἐκ ἔχει ὁ Σύρος, μόνον δὲ τὸ ὄνομα τῦ φυτῦ εἶναι νομίζω. τοῖς δὲ ἑβραίοις δοκεῖ τὸ Σαβὲκ ἄφεσιν σημαίνειν ἢ τῦτο δὲ τῦ μυστηρίυ τῦ σαυρῦ δηλωτικὸν ἂν ἔση. Plura exempla vide in Notis FLAMINII NOBILII in Edit. Rom.

Rom. Bibl. Græcor. Alio tempore voces Syriacas propter eandem pronunciationis cognationem cum Græcis confundunt. Huc pertinet, quando OPTATUS vocem κηφᾶς a græca κεφαλὴ deducens, inquit: *Omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas dicitur.* Quæ sententia eum facile in errorem ducere potest, qui nescit κηφᾶς esse Syriacum & *petram* denotare. Sæpius præterea exhibent quasdam formulas adeo depravatas, luxatas, mutilatas, ex peregrina lingua infeliciter transscriptas ac versas, ut nihil sani ex iis colligi posse videatur; quæ tamen ex Syriaca lingua, pristinæ antiquitati restituta, sensu non adeo sunt difficiles. Talis formula legitur apud IRENÆUM (o) hic verbis: μεσσία, ὀυφαρὲγ, ναμεμψαιμὰν, χαλδαίαν, μοσομηδαέα. ἀκφραναὶ, ψαύσα, ἰησȣ̃, ναζαρία. Ebraica hæc esse Pater existimat, hancque eorundem verborum ἑρμηνέιαν subjicit: Οὐ διαιρῶ τὸ πνεῦμα, τὴν καρδίαν, ϗ τὴν ὑπερȣράνιον δύναμιν, τὴν οἰκτίρμονα, ὀνάιμεν τȣ̃ ὀνόματος σȣ σωτὴρ ἀληθείας. EPIPHANIUS eadem verba satis obscura paulo aliter effert, (p) nempe hoc modo: Μεσια, ουφαρ, εγναμεμψα μεν χαλδια, νοσσομη, δαεκ. ακφαραν, εψευουσα, ιησȣ, ναζαρια. Observat autem Cl. JO. RHENFERDIUS (q) verba hæc fere desperata Syriaca esse, atque ita pronuncianda: משיחא ופרוקא דפרק יפשן (.שי) מן עלמא הנא ומן כל דבה בשמה דיהוה וכפרן בפורקנא דנפשה · הו ישוע נצריא *Messias & Redemtor, qui redemit animam nostram (meam) ab hoc seculo, & ab omnibus, quæ in eo sunt in nomine JAH, & expiavit nos pretio vel lytro animæ suæ, hic est Jesus Nazarenus.* Præterea exstant in hunc usque diem nonnulla Patrum Syrorum monumenta, litteris Syriacis exarata, quæ

lectu

lectu digniſſima ſunt, cujusmodi EPHREMI, Syri Celeberrimi, Liber de amore ſapientiæ, aliique diverſi ejus tractatus, qui in Bibliotheca Leidenſi publica adſervantur: JACOBI EDESSENI Hexaemeron ad CONSTANTINUM; & alia ſcripta non pauca. (r)

(n) Topographia Eccleſiaſtica p. 120.
(o) Adverſus Hæreſes Lib. I. cap. XVIII.
(p) De Hæreſibus Macroſiorum cap. XX. & Heracleonitarum cap. II.
(q) Operibus Philol. pag. 199.
(r) Conf. Laudati Hottingeri Bibliothecam Orientalem.

§. XV.

Cum denique Arabica atque Æthiopica lingua Syriacæ integritatem ſuam debeat, (s) haud difficulter cognoſcitur, eum via plana illas adire poſſe, qui hac juſta ratione imbutus eſt. Præpoſtera enim ratio foret, per ſaltum quaſi ea adgredi, in quæ animus cœco impetu fertur, ſpretis iis, ex quibus reliqua dependent. Sic merito ab Arabica & reliquis linguis Orientalibus, Syriacam qui ignorat, retruditur, contra hac plene inſtructus, felici progreſſu in diſcenda Arabica atque Æthiopica verſatur.

(s) Conf. Diſſ. de Hiſtor. Linguæ Syr. p. 15. §. VII.

§. XV.

Supereſt, ut brevibus adtingamus dubia, quæ nonnulli movere ſolent, iisdemque ſatisfaciamus. Primum eſt, quod in ore eorum, qui Deæ Pigritiæ libare malunt, quam honeſtioribus ſtudiis operam dare, verſatur: Vocum omnium ſignificationem ex Lexicis

peti

peti posse, quæ magno numero inveniuntur. Respondeo: Hæc ita sæpius dissentiunt, ut collata Lectorem incertiorem reddant, quam olim fuerit: Judæi primi Lexicographi, quibus Christiani sua maximam partem debent, in vocibus rarioribus indicant: In Targum ita vocem reddi, sed magistrum sibi dixisse significationem hujus radicis esse alterius adfinem, a qua non nisi per metathesin differat, patrem vero existimasse, talem voci vim subesse ob ea, quæ præcedunt, & sic porro. Hinc magis rationi consentaneum videtur, cum unicus V. T. codex hebraice scriptus supersit, vicinorum Syrorum sermonem consulere in indaganda vocum significatione. Excipiunt etiam, in Lingua Syriaca verba eadem diversissimas sæpe significationes habere, adeoque adhuc dubium esse, utrum id, quod Syris significent, Ebræis quoque significaverit. Verum licet etiam ubique Mathematicam certitudinem adipisci non possimus, sufficit, si de probabilitate certi sumus. Secundum, quod objicere solent, hoc est: omnia hæc, quæ ex collatione Linguæ Syriacæ cum Ebræa ad eruendas vocum significationes observari possent, jam conscripta esse a Viris doctis, ideoque ea legere possumus. Verum nondum omnia sunt exhausta, nondum in aperta luce collocata: Ad hæc præstat sane suis oculis videre, quam cœca fide aliis credere. Tertio pergunt, multos cum summo laude floruisse in Ecclesia Theologos, qui sine Syriacæ Versionis adminiculo, sine omni Linguæ Syræ versione in V. & N. T. explica-

tione feliciter progressi sint. Regero autem, non de necessitate sed utilitate Linguæ Syriacæ nos loqui. Caruerunt omnino Theologi magni nominis hujus linguæ notitia, sed non sine detrimento.

TANTUM.





D Gc 1170

ULB Halle
001 159 33X
3/1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-33415/fragment/page=00000035